



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Quàm multis & diuersis grauibusq[ue] morbis fuerit exagitatus Lessius?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

IV.

cap. 19.

S. 104.

Sed & in altero illo maiore malo, maximorum bonorum, sibi offerri vidit occasionem, & luculento patientiæ exemplo docuit, quid nos, aut in grauibus, aut in diuturnis morbis cogitare, dicere, ac facere debeamus. Hæc enim in eadem Lessij vita legimus, digna, quæ huc exscribantur, quia digna, ut & imitatione exprimentur ab ijs, qui minùs innocentes ægrotant. *Leonardus Lessius, jam inde ab adolescentia, id vnum diurnis nocturnisq; precibus à DEO flagitavit, ut eiusmodi sibi vita cursum concederet, quo diuina Maiestati placere, & anima sua salutem operari posset, Corpus suum & animum DEO in holocaustum sistebat. Petebat nihil, excipiebat nihil: pro sanctissima sua voluntate id de se ageret, quod luaberet. Copiose tanto desiderio visus est annuisse Deus; & (sicut de fortissima tolerantia patriarchæ Iob & Tobin factum legimus) experimentum voluisse sumere, num tam generosa liberalisq; voluntas, perpetuò sibi ipsa constaret. Siquidem totos quadraginta quinque continuos annos, nempe à tertio & vigesimo ætatis, usque ad sexagesimum nonum, quo diem ultimum clausit, vnus ex altero semper illi dolor fuit; immò etiam deterior priore posterior. Vt videlicet extensa Patientia vitæq; commensa simul cum ætate cresceret, & ex amissi diuina voluntati Lessium adæquaret.*

V.

Principium morborum Duacense dedit exilium; ut quod DEI Religionisq; causâ malum obuenerat, Deus martyrio annumeraret, & Lessium ambitiosè toleraret. Hæretici in DEVM & Philippum Regem rebelles. Duaco Lessium cum cæteris Religiosis proscripserant. Ipse in obscurum diuersoriolum reuersus contagiosam isthic lues (de qua pluribus cap. 3. agitatum est) induit; quâ, non antè quàm vitâ, exutus est. Quippe totum ea lues corpus peruasit, & primùm quidem eo furore, ut & caput, & cætera membra in duplum tumere fecerit. Et quamuis Lessius sobriâ vitæ ratione, & medicorum industriâ, malum illud domuerit: euincere tamen non potuit, nè sparsim maculas scabie partes quasdam, veluti arcus retineret, è quibus perpetuum valetudini bellum lacefferet. Hinc molestissima illa impetigo, qua variâ membra, pessimè verò utramq; tibiam assiduo pruritu, cæcis edaci morsu corrosit. Hinc stomachi languor, frigus, pituita, intestinorum tormina, ventorum ex ore flatu, prædura aluus, colica aculeus, hepatis vicinarumq; partium affectio. Adhuc hernia utrimq; hinc pugnis
inde

inde pile magnitudine extuberans. Ab his omnibus, quotidiana erant & domestica praelia. Externum aliquod accersendum erat, quo Lesius frangi posse videbatur.

Cum ad septimam Generalem Congregationem proficisceretur, non longe à Lucerna (vrbs est in Germania Italiaq; confinibus) ipso exaltata Crucis festo die, ut videlicet crucem haberet, qua aliquando ad calos exaltaretur, euerso quo vehebatur curru, tibia ei confracta est: stetit tamen illi animus. Agnouit à DEO vulnus illud esse: letus gratisque excepit, & quidem ea animi in diuino beneplacito quietus; ut nec preces ad Deiparam Lauretanam ex itinere pro sanitate fundendas putarit.

Qui leserat, sanauit DEVS; non ut deinceps abstineret, sed ut iterum fortiori manu, non nihil respirantem, vulneraret. Proximo ante mortem quadriennio, à Latiensi prasule Antonio de VVinghe magna sanctimonie viro, consilij causa Bruxellam Lesius euocatur. Et ecce itinere medio, duo calculi, uno gallinaceo pares (uti post mortem compertum est) nullo umquam antea indicio cogniti, quasi calo lapsi, vesicam cruentant & exulcerant. Crudeliorem numquam ipse hostem sensit. Mala praterita huic composita, lusus erant. Et tamen eadem illa mala, quasi in auxiliares vires euocata, ut grauius nocerent, simul cum utroque lapide, eodem tempore plerumq; seniebant: adeo ut Lesius & ab hernia, & à colica, & ab hepate, & à stomacho, & à tiliarum pruritu, & ab alui obstructione, & à duobus illis lapidibus ferociter pugnantibus, crudelissimum bellum simul sustineret; & subinde pie quiritans exclamaret: Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt Domine. Tanta erat mali illius acerbitas, ut quamuis mortem, tardam etiam adustionem, pre ea Lesius eligeret. Neque diu neque noctes, à doloribus vacabat, incommodè & iacebat, & sedebat, & stabat. Pes uterq; sub planta (cum nempe frequenti pulsatione utriusq; calculi per os vesicae percurrere molientis impetum sustineret) ita conterebatur, ut Lesius vix deinceps, nisi duplicatis soccis, & sic agrè adhuc consisteret. Ita nullibi requies, nusquam pax: ubiq; bellum. Totum postremum quadriennium in perpetua ista carnificina transactum est.

Apud Medicos, ipsa etiam experientia in confesso est, dolores musculorum neruorumq; esse acutissimos. Et verò omnis binorum lapidum

VI.

VII.

VIII.